Nº 15

Venerabili Fratri Episcopo Segobiensi Inquisitori Generali Hispaniarum
Clemens Papa XI.

Venerabilis Frater salutem etc. Novum plane ac inopinatum, neque minus molestum nobis accidit audire, quod postquam Fraternitas tua sese saepius excluserat ea consilia, quibus nostro etiam nomine admonitus fueras, expedire omnino, ut causam Religiosi viri Froilani Diaz tu idem definires ex illis ipsis actis, quae Matriti primum, mox etiam à Murtiae Inquisitione confecta fuerunt, cum tu vicissim constitutum apud te diceres adversa quaeque prius perpeti, quam sententiam tuam conformare iudicio absolutorio, quod ab eisdem Inquisitionibus apud ea praesertim quae Matriti, prolatum fuerat, ne votum decisivum quod sibi ipsis competere eiusdem Inquisitionis Consiliarii praesumunt, per te videret admitti, immutato postmodum proposito tibi licere duxeris obsequi in hac materia regio decreto, atque in eius vim non dubitaveris transmittere acta originalia praefatae causae, quae penes te servabantur ad illud ipsum Consilium Inquisitionis Matriti, cum probe tu intelligere potuisses fieri nequaquam posse sine gravi praejudicio commissae tibi iurisdictionis ab Apostolica sede, cuius est (seclusa quavis saeculari potestate) in causis fidei cognoscere, et iudicare. Quapropter facere non possumus, quin factum huiusmodi valde improbemus, tibique notum faciamus quantum nimia illa tuae voluntatis firmitate adversus paterna nostra monita per Vener. Fratr. Franc. Archiepisc. Larissensem iterato ad te delata pro celeri expeditione saepe memoratae causae, quae certe simplici admonitione aut ad summum abiuratione de levi, si eam expendi hic in Urbe contigisset, ad exitum perducta fuisset, muneri, iuri, et authoritati tuae detraxeris, quid enim proderat more filiorum Ephrem attollere et tendere arcum, quem tu demum cum maxime eo opus erat, abiicere cogitabas? Gravem cordis nostri sensum ea de re perceptum latere te nolumus, nec tamen Apostolicae charitatis praetermittimus officium, quo tibi Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

[illegible]